



RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
GEORGIUS AVGVSTVS
LANGGVTH

PHILOSOPH. ET MEDIC. D. PATHOLOG. ET
CHIRVRG. P. P. ORDINARIVS FACVLTAT.
MEDICAE SENIOR


CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D

ET

AD SACRA S. D. N. IESV CHRISTI NATALITIA
PIE REVERENTERQVE CELEBRANDA INVITAT

IN EST DE PRECE HOSIANNA IN LITVURGIA GR. ET LAT



R E C T O R

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

GEORGIVS AVGVSTVS

LANGVATH

PHILOSOPH. ET MEDIC. D. SATHOLOG. ET

CHIRURG. P. P. ORDINARIVS FACVLTATIS

MEDICINAE SENIOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.

ET

AD SACRA S. D. N. IESV CHRISTI NATALITIA

SIC REVERENTISSIMAE GEBERANDA INUITAT

INUIT DE SACRAE BOLLANDIAE IN LIVVIOGA QD ET IAR



DE
PRECE HOSIANNANA
IN
LITVRGIA GRAEC. ET LAT. ECCLESIAE

Reprehendi ego quondam, nec ut puto sine caussa, morem, qui in pontificio praecipue coetu regnat, latinae linguae in sacris publicis adhibendae. a) Non multo post, ne quis error offunderetur incautioribus, docui, non omnem linguae minus cognitae usum in sacris esse penitus reiiciendum, sed recte a nobis modicum aliquem tolerari. b) Sequuta est deinde commentatio de *Halleluiab*, c) in qua illustri exemplo demonstrabam, non omnia peregrina uocabula e liturgia eliminari aut posse aut debere. Nunc, quum eius generis etiam alia quaedam sint, neque ullum eorum tam peruersae usurpationis reperiatur, quam formula illa, non laudis, uerum supplicationis, HOSIANNA: constituimus, uelut in supplementum eorum, quae antea in cognati argumenti rebus a nobis dicta sunt, per huius libelli occasionem paucis exponere. Neque profecto consilium hoc nostrum alienum uideri debet ab hoc tempore, quo ad obeunda sacra, Christo nato sollempnia, CIVES NOSTROS inuitamus. Nam sunt, qui cantus illius angelici, quo ipso his diebus templa nostra personant, uerba haec apud Lucam, Δόξα ἐν ὑψίσις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, idem significare dicant, quod ἁσαννά, moti ea ratione, quod LV-

A 2 CAS

a) *Historia Lat. Ling. in sacris publ.*
Lips. 1756. P. P.

b) *Progr. de sacerdote Lat. Lingua*
ad altare cantillante. *Vireb.* 1761.

c) *Progr. de formula Vet. Eccl.*
claf. psalmodica *Halleluiab.* *Vireb.*
1762.

CAS adclamationem, Christo, urbem ingredienti, factam commemorans, ubi reliqui uitae Iesu Scriptores MATTH. XXI. 9. 15. MARC. XI. 9. IO. IOH. XII. 13. habent *Hosianna*, ibi habet ipse *δόξα καὶ εὐφήμ.* d)

Eruemus igitur primum *significationem* uocabuli, ut, qua ratione Christo accini potuerit, intelligatur: deinde *usum* eius in *cultu Dei publico*, describemus, uidebimusque, tum quando illud in ecclesia Graeca et Latina Doxologiae Maiori additum usurpari coeperit ante consecrationem eucharisticam, tum quibus in hymnis ecclesiae nostrae adhuc usurpetur, idque an recte satis conuenienterque fiat, considerabimus.

Constat

d) IOH. IAC. CRAMERVS ad Cod. *Succa*, s. de Festo Tabernac. ed. *Dachs.* p. 251. de uoce *ᾠσαννᾱ* agens scribit: *Quid populus ille sibi per istam uocem uoluerit, ex ipsius mente egregie Lucas exponit, qui eo loco, quo caeteri habent ᾠσαννᾱ ἐν τοῖς ὑψίστοις, id uertit εὐφήμ ἐν ᾠσαννᾱ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. atque mihi quidem nostra per omnia gemina uidetur angelorum adclamatio, Luc. II. 14 item IOH. FRIDER. MAYERVS Eclog. hist. theol. de *Dominica Palmar.* p. 4. quum obseruasset, Veteres quosdam cum Clemente Alexandr. *ᾠσαννᾱ* exponere *φῶς καὶ δόξαν καὶ αἶνος μετ' ἱερουργίας τῆς κυρίου* hanc notam subiicit: *Inducti sunt a Luca, qui pro ᾠσαννᾱ ἐν τοῖς ὑψίστοις, quod est apud Marthaeum, habet εὐφήμ ἐν ᾠσαννᾱ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις: ex quibus locis colligere possis, angelos quoque Luc. II. 14. in natiuitate Christi Hosanna adclamasse.* Sed nomen *ᾠσαννᾱ* diuitias cantici angelici non omnino complecti uidetur, et differentia haud exigua est inter exclamationem angelicam, et illam, quae *Luc. XVIII. 38. memo-**

ratur, si uerba Scriptoris sacri rite apud animum cogitaueris. Magis placeret uersio cantus angelici haec: *Gloria (sit) Deo in excelsis: (nam) super terra (est) pax. (O) beneplacitum Dei in hominibus*, quam adfert et philologicis rationibus munit CHRISTIAN LUDOUIC. SCHLICHTER ad calcem *Eclog. bistor.* qua fabula pontificia de Luca Pictore expeditur. *Halae, 1734.* ed. nisi b. LVTHERI *Veterumque Versio ei palmam praeriperet.*

e) Docte hoc contra *Kircherum* pro *Syriaca*, item contra *Kirstenium* in *Notis ad Euang. Matth. pro Arabica* pugnantem ostendit DAN. WINZERS duabus disp. *Lips. 1677.* ed. de *adclamatione natiua Hosanna* insertis Tom. 2. *Theaur. theol. philolog. Menhen.* v. 164. ubi de uocis etymologia praecipue agit, de qua similiter exposuerunt, IO. GEORG. BINDRIM disp. *Rost. 1671.* et GEORG. NOTDVREFT *Brunsv.* 1713. Alieniora sunt, quae ad interpretationem istius uocabuli cumulauit CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS disp. th. de *Hosanna* *Tubing. 1749.* Varias

Constat autem, *Hosianna* esse non aut Syriacam, aut Arabicam, aut Graecam, uocem, e) sed Hebraicam, ex *הושיע נא*. Ea semel tantum in V. T. Psalmo CXVIII. 25. occurrit, f) est- que adclamatio, qua rogatur Deus pater, ut Messiam a passionibus et morte saluum praestet. *Salua quæso o Domine Messiam.* g) Ideo b. LV THERVS egregie reddidit: *O Herr hilf.* h)

Eadem uox in N. T. legitur apud MATTH. c. XXI. MAR- CVM c. XI. IOH. c. XII. qui singularia illa narrantes, quae Christo Hierosolymas postremum ante mortem ingredienti obrige- runt, populum, aiunt, uiam ramis arborum honoris causa con- sternentem i) filio Dauidis in nomine Domini aduentanti *ὡσαν- να*

A 3

Varias uariorum sententias commemo- rauit et adcurate diiudicauit IOH. CHRISTOPH. WOLFIUS *Curis Philol.* ad Matth. XXI. p. 299.

f) Pertinet ille Psalmus ad *Magnum Hallel*, quod in diebus festis, praecipue autem in Paschate, canere consueuerunt Iudaei, Matth. XXVI. 30. Marc. XIV. 26. Esse Messianum ex Matth. XXI. 9. 42. planum et euidentis est. Rogari autem Deum patrem, ut Messiam saluet, lapidem ab aedifi- cantibus reiectum, patet ex conne- xione uers. 5. et ex lesaiae LIII. 8. Ioh. XI. 27.

g) Hae preces Messiae, ut salutem ipsi praestet Deus pater, non officium eius diuinitati, aut impotentiam indi- cant hominis, qui, quod se ipse saluare non possit, alterius ope indigeat. Matth. XXVII. 42. Luc. XXII. 35. Nec enim indignit Saluatore Messias, qui semet ipse saluauit Ies. LIX. 16. LIII. 5. se ipse *ἀυτοκρατορικῶς* ex mortuis re-

suscitauit, Ioh. II. 19. X. 18. per *spiri- rum* h. e. per animam suam I Pet. III. 18. eadem donatam *διδώμεν*, quae et Patris est, Ioh. V. 21. Nam hoc ipso diuinitatem suam demonstratam dedit, quod se spiritus sui uirtute ipse resusci- tauit. Stat enim haec sententia stabitque defensa illa olim contra Socinum, Smal- cium, Eniedinum a I. A. QVENSTADIO *Syst. theol.* P. III. 4. p. 435. et nuper admodum contra *librum doctrinae chri- stianae Tellerianum* Sociniana denuo protrudentem a *Collega iunctissimo Ve- nerab. Weickbmanno.*

b) Negant τὸ *Hosianna* in aliam linguam transferri posse aut debere HIERONYMVS Epist. 145 et AVGV- STINVS l. 2 de *Doctr. Christ.* c. 12. Sed rationes equidem non uideo. Nam, quas pro *Halleluiab* uet. ecclesiae docto- res adferunt, a me in dissertatione de hac formula pag. 10. commemoratas, eae uidentur mihi pro hoc uocabulo minus ualere.

i) ANGELVS CANINVS L. de Lo- cis

va' adclamasse. k) Neque dubium esse debet, quin, etsi eodem tempore sint etiam laudes Christo dictae, LVC. XVIII. 38. tamen haec adclamatio fuerit hominum pro salute illius uota facientium, Deumque his quasi uerbis obtestantium: *Salutem praesta filio Davidis.* l) Resuscitabat Christus Lazarum, duobus caecis uisum reddiderat, Hierosolymas abiturus ad Pascha concelebrandum praenuntiabat fore, ut ipse gentilibus traditus occideretur. Non poterat fieri, quin harum rerum fama, propter Bethaniae uicinitatem Hierosolymis cito sparsa, commoti Pharisei occidere illum iam serio cuperent, eiusque manifestum odium

prae

eis N. T. Hebraic. c. 4. per τὸ ἄκρανὸν intelligit βάλανος s. arborum ramos, putatque turbam, quae hac adclamatione Christum exceperit, uoluisse dicere, se *Hosanna* h. e. salicum, palmarum aliarumque arborum ramos ferre filio Davidis, eoque facto Messiam illum agnoscere. Hebraeos enim ex *Leuit. XIII.* folios fuisse in Tabernaculorum festo manibus gestare salices et ramos palmarum subinde ingemiantes *Hosanna*: inde factum esse, ut ipsi rami apud Hebraeos non raro dicti sint *Hosanna*. Quoniam autem hoc uocabulum ex *Ps. CXVIII.* desumptum, recte ab ORIGENE per σαλῶν δὲ ab HIERONYMO per *saluum fac*, explicatur; satis audacter quaerit ex illis ANGELVS quem sensum gignat si dicat: *Salua quaesō filio David.* Sed rectius ex Caninio uicissim quaerit I. F. MAYER *Eclog. Dom. Palm.* quid sibi uelit si dicat: *rami arborum in excessis.* Sane adhuc incertum est, an adclamatio ista ex ritibus festi Tabernac. facta sit. Scio, diebus illis festis Iudaeos hac prece uti; festum ipsum uocari הושענה: diem eius septimum, qui Ioh. VII. 37. μεγάλη τῆς ἐορτῆς di-

citur, ideo adpellari *Hosanna magnum*, eo quod illo die altare uel arcam legis septies circumueuntes hanc prece[m] identidem repetant: Scio, preces huius diei uocari הושענה, nec ignoro, *Lulaf*, h. e. fasciculum aliquem ex ramis palmarum, myrtorum et salicum confectum *Leuit.*

XIXIII. 40. diei הושענה propterea quod in eius circumgestaltunge atque agitatione *Hosanna* ingeminare solent, ut docet GABR. GRODDECKIUS de *ceremon. palmar. apud. Iud. fest. Tabernac.* c. 7. Nihilominus tamen uidetur mihi esse uero propius, repetitum esse *Hosanna* ex Psalmi uerbis

כִּנָּה יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּה pro seruando Messia conceptis, quae in Euangelis humiliter pro salute filii David; non populi, contra quam in festo tabernaculorum fiebat, prolata ualent. In tabernaculorum contra festiuitate se suaque commendabant Deo; uti hac solemnium precum formula *Hosanna*, cuius uariis potest esse sensus: *Salua Deus populum, salua nos, salua me precantem.*

k) Celebratus hac nomenclatione fuit ortus

prae se ferrent. Itaque quum Hierosolymas pergeret Christus, clamabant qui eum comitabantur, Hosianna, i. e. Iesum hunc, qui tanta miracula fecit, serua o Deus ab odio illorum, qui eius uitae insidiantur. *m*) Post ea in templo pueri, quum uiderent Christum, ringente clero Iudaico et minas spargente, nundinatores exturbantem, caecosque ac claudos sanantem, similiter ei adclamabant: quod est illud Hosianna *ἐν ὑψιστοις*, nempe adclamatum in excelsis urbis Hierosolymitanae locis, in monte Sion et Moria, quibus arx Dauidis et templum superstructa erant. *)

Si

ortus Messiae, qui erat filius Dauidis ex omnibus illius posteris eminentissimus *Matth. XXII. 42.* regius demonstratus ex genealogia duplici. *Matth. I. Luc. III.*

l) Docet HIERONYMVS *Epist. 145. ad Damasc.* τὸ ὠσαννὰ litera uocali media elisa *Osanna* corrupte, multo rectius *Hosianna* dici. Nam compositam esse uocem ex הושיע *saluum fac*, et deprecantis interiectione ננן *obsecro*. Hinc quia Graeca praecipue uerba uidebantur solecismum continere ὠσαννὰ τὸ ὑψιστὸν Δαβὶδ cum datiuo, *filium fac obsecro filio Dauid*, subaudiendum putarunt: sic precamur. Sed hac medicina non opus est, quia Hebr. הושיע et alia transitiva, non tantum cum accusatiuo, sed etiam cum ל i. e. datiuo, ubi per *opem ferre* exprimitur, construuntur. Postulare autem hunc casum *boschiach* patet ex *Psalmo LXXXVI. 18. LXXXII. 4. Prou. XX. 22.* Itaque τὸ ὑψιστὸν capitur pro τὸ ὑψὸν *serua obsecro filium Dauid*. Bene, fortuna eum, successum ei da prosperum. Sic bene ac sapienter factum

a sacris scriptoribus Graecis, quod re-tenta uoce Hebr. *Hosianna* retinuerint etiam Hebr. constructionem τὸ ὑψιστὸν. Confer Autores a WOLFIO in *Curis* ad l. l. adductos. et IOH. STEPH. DVKANTVM de Ritibus Eccl. Catholicae p. 291. *edit. Lugd. 1675.* in 4.

m) Ita causas huius supplicationis exponit FRANC. BERNARDIN. FER-RARIVS l. VII. de Veterum adclama-tionibus et plausu c. 8. 9. Tom. VI. *Thef. Antiquit. Rom. Graeu.* PETRVS DAN. HVETIVS contra, in *Obseruati.* et *Not. ad Commentar. Orig.* in *Matth.* ait, hanc uocem destinatam esse laetitiae, gratulationi, ac triumpho, et honoris tantum causa Christo sueclamatam fuisse, quae licet ex se minus conueniret, ex populi tamen tripudiantis consilio maxime iudicandam esse, haud aliter ac uocem *noel* a laetitia natiuitatis Christi ductam, et quondam Galliae princi-pibus adclamatam. p. 76. *edit. Colon.*

*) Dicuntur *excelsa urbis*. *Pro-uerb. IX. 3. 14.* quae his in mon-tibus erant, haud fallaci argumen-to, *Hosianna* ibi cantandum maxime. Quod et factum ab infantibus in tem-plo

Si ergo et etymologica et sententiae ratio docet, *Hosanna* indicare supplicationem et preces pro alterius salute, non esse formulam laudis aut ἐπινίκιον: si qui sunt ueteris ecclesiae doctores, qui uocabulum hoc aliter interpretentur, qui plurimi sunt, eos minime audiemus. Ita CLEMENS ALEX. n) cui accedit SVIDAS o) gloriam uertit. Falsus ille IUSTINVS, M. p) reddit μεγαλωσύνην ὑπερκειμένην. AVGVSTINVS putat intercessionem esse laetantis et obsecrantis. q) Auctor operis imperfecti in Matth. quod CHRYSOSTOMO r) tribuitur, incertus haesitat. HILARIVS s) et AMBROSIVS *) redemptionem domus Dauidis significari autumant, quorum opinionem iam HIERONYMVS t) confutauit.

Neque uero mirandum est, Patres ecclesiae antiquae, litterarum

pro Matth. XXI. 15. Neque tamen refragaret, si propter constantem antiquitatis sententiam, et Psalmi CXXXVIII. uersum 1. dicas, *Hosanna* resonare debuisse in supremo aere, in tonantibus angelis et saluationem Messiae expectantibus.

n) in Paedagogo L. I. c. 5. dicit quod *Hosanna* Graece sit φῶς καὶ δόξα καὶ αἶνος μετ' ἑκτερίας τῷ κυρίῳ, lux et gloria et laus cum supplicatione ad Dominum directa.

o) Lexico T. II. p. 768. edit. Kust, ὡσαννὰ δόξαν σημαίνει. Καὶ γὰρ ἄλλος εὐαγγελιστὴς λέγει εἰρήνη τῷ υἱῷ Δαβὶδ, καὶ ὁ ἕτερος: δόξα τῷ υἱῷ Δαβὶδ, ὥστε τὸ ὡσαννὰ δόξαν σημαίνει. Παρὰ τισὶ δὲ, σῶσαν δὲ, ἢ ὀρεῖσθαι. *Hosanna* Gloriam significat. Nam et alius Euangelista dicit: pax filio Dauid, et alius gloria filio Dauid. Quamobrem *Hosanna* gloriam significat, apud quosdam uero: serua iam, sed non recte. Errat SVIDAS, apud solum enim Lu-

cam XIX. 38. legitur εἰρήνη ἐν τῷ ἔρατῳ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις. Id quod praeter *Hosanna* adclamatum fuit Christo.

p) Auctor Qu. et Resp. ad Orithodoxos Qu. 50. pag. 460. edit. *Benedictin.* ita instituit, ut, quia olim pueri, iam uero adulti, dum hymnos cantent, uoce *Hosanna* et *Halleluia* utantur, scire cupiat uocum interpretationem, et Resp. *Halleluia* esse: laudate cum cantu *Hosanna* autem magnificentiam supereminentem, quam alii reddunt, magnitudinem supremam.

q) L. 2. de Doct. Christi. c. II. et in Iohan. Tr. 51.

r) Homil. XXXVII. ex c. 21. in Matth. ad calcem T. VI. edit. *Montfauc.* p. 158. ait, quosdam *Hosanna* interpretari gloriam, alios redemptionem, alios saluifica. Nam et gloria Christo deberetur et redemptio illi conuenit, qui omnes redemit et pretiosi sanguinis effusione saluauit.

rum Hebraicarum ignaros in explicando isto uocabulo hallucinatos esse. Hoc miramur, esse adhuc nostro tempore uiros doctos, qui existiment, laudantis formulam esse Hosianna. **) Explicauerat autem iam ante Hieronymi aetatem formulam hanc recte ORIGENES per *σῶσον δή. u)* Hanc interpretationem probarunt ex Graecis THEOPHYLACTVS, x) ex Latinis HIERONYMVS, quem, ut uidetur, sequutus est in *Originibus* ISIDORVS HISPALENSIS: y) nam alio loco ualde inconstanter ait, per *Hosianna in excelsis* ad Dei laudem uocari *terrestrium creaturarum uirtutumque caelestium uniuersitatem.* z) At illi sic intellexerunt, quasi Christo adclamatum esset, non ut Deus ipsum, sed ut ipse populum suum seruaret. a)

Nec tamen, utro modo fuerit intellectum, uidetur caussam ha-

s) in Matth. c. XXI.

*) in Luc. c. XIX.

r) Epist. 145. ad Damasum Papam.

Opp. T. 3. p. 83. edit. Frf.

**) Testes huius rei sunt Homiliae aliquot, nuper ad celebrandum diuinum pacis instauratae munus uulgatae, ubi auctores, quorum nominibus parcimus, titulum fecerunt Hosianna, satis hoc ipso indicantes, se Hallelujah et Hosianna pro Synonymis habere et laudantis lactantisque uocem opinari.

u) Commentar. ad Matth. P. I. p. 438. edit. Colon.

x) in cap. XI. Marci p. 252. edit. Morell. Paris. Τὸ ὠσανὰ κατὰ μὲν τινὰς σημαίνει σῶσον δή, κατὰ δὲ τινὰς σημαίνει ἄμενον πλὴν κρείττον τὸ πρῶτον. Hosanna iuxta quosdam significat salua obsecro, iuxta quosdam uero hymnum. Rectius tamen est, quod primo dictum. Confer paria eius ad Matth. XXI. p. 121.

y) L. VI. c. 19. *Saluifica, subaudiendo uel populum, tuum uel totum*

mundum, interpretatur. Ex Hieronymo autem haec illum hausisse, obseruat Grialus in Notis p. 540. edit. Opp. Colon. du Breul.

z) L. I. de Ecclesiast. Offic. c. 15. additque Hosianna in excelsis cantari, quod, Saluatore de genere Dauid nascente, salus mundi usque ad excelsa peruenisset. uide. HVG. MENARDVM ad Sacramentar. Greg. M. T. III. Opp. edit. *Benedict.* p. 282. Bene ISIDORVS. Si putat: salutem, Christo nascente, ad excelsa peruenisse, intonantibus in supremo aere angelis et saluationem Messiae expetentibus. Sin uero, ut plerique Scriptores de Diu. Offic. et FLORVS MAGIST. in *Expos. Misae* habent, aduentum Christi in carne putat, non solum hominum in terra, sed et angelorum in caelis fuisse salutem, profecto minus recte statuit.

a) Negari non potest uocem Hosianna uariis modis exponi posse. Vel enim

B

oratio

habuisse HIERONYMVS b) quare morem illum veterum Christiano-
rum reprehendat, qui Episcopis et Presbyteris aduenientibus ob-
uiam progressi adclamabant illis *Hosianna*. c) Siue enim haec adcla-
matio significet, saluum praesta o Deus episcopum nostrum,
sive populum tuum fac serues noster Episcopo: sine ulla of-
fensione utrumque dici potest. d)

Geminus quidem loci EVSEBIANI sensus est, ex HEGESIP-
PO narrantis, Iacobo Iusto Episcopo Hierosolymitano, quum
martyrium subiret, adclamatum fuisse: *Hosianna filio David* e)
qui induxit nonnullos, ut arbitrati sint, HEGESIPPVM dicere
non Iacobo, sed Christo, quem ille confessus erat, hoc dictum
fuisse.

oratio dirigitur ad Deum Patrem, uel
ad Messiam. Si prius, complectitur
preces pro saluatione Messiae Pl. XXXX.
14. 18. CVIII. 21. 26. uel populi,
uel omnis orantis, uel pro saluatione
Messiae et populi coniunctim. Si poste-
rius, pro nostra, pro populi saluatione
oratur. Pl. XX. 10. Is. XXXIII.
22. Ierem. XXX. 7. Hof. I. 7.

b) *Comment. in Matth. c. XXI. T. VIII.*
Opp. ed. Frf. p. 51. *Videant
Episcopi et quantumlibet sancti homines,
cum quanto periculo di i ista sibi parian-
tur, si Domino cui uere hoc dicebatur,
quia nec dum erat solida credentium fides,
pro crimine impingitur.*

c) Morem cognoscimus ex ANTO-
NINI Monachi *Itinerar. Hierosolymit.*
p. 30 „Venerant mulieres in occur-
sum nobis cum infantibus, palmas in
manibus tenentes, et ampullas cum
rosaceo oleo: et prosternentes pedibus no-
stris plantas nostras ungebant, canta-
bantque lingua Aegyptiaca, psallentes
antiphonam: Benedicti uos a Domi-
no, benedictusque aduentus uester,

„Osanna in excelsis.“ Plura de hac
re habet HENR. VALESIVS in Notis
ad *Eusebii Hist. Eccl.* p. 79. edit. REA-
DING. et IOS. BINGHAM *Origin. Ec-
cles.* T. I. edit. Lat. p. 135. cum quo
confer IOH. BEHM. *diff. de antiqua tra-
ditioue compellendi episcopos per coronam.*
Regiom. 1712. P. P

d) Memini quosdam concoquere non
potuisse, quum b. Pater meus Christia-
no Duci Sax. Leucopetr. pro concione
in Dom. Palmar. *Hosianna* adclamaret.
Nam, quum Princeps per hanc urbem
transiens concionantem illum audiret,
exceptus hac formula est, quae boni
uorū causa dicta, iure reprehendi non
potest.

e) Ait HEGESIPPVS apud EVSE-
BIVM *Hist. Eccl.* l. 2. c. 23. Iacobum,
in fastigio templi positum, Iesum re ue-
ra Christum generisque humani redem-
torem praedicasse, pergitque, καὶ πολλῶν
πληροφορηθέντων καὶ δοξαζόντων ἐπὶ τῇ
μαρτυρίᾳ τοῦ Ἰακώβου, καὶ λεγόντων ὡσανεὶ
τῶν ὑπὸ Δαβὶδ, τότε πάλιν κ. τ. λ. quod
interpretantur, a Iudaeis quibusdam,
Christi

fuisse. f) Nihil tamen impedit adfirmare, praecipue, quod a moribus istius aetatis haud alienum illud fuit, Iacobo hanc formulam fuisse succentam, quippe Iosephi, adeoque Davidis filio, praeter ea episcopo, qui aevi sui miraculum credebatur, g) et tantae abstinentiae, *sanctitatis et rumoris in populo* fuit, ut *simbriam uestimenti eius certatim attingere* cuperent. h)

Plurimum differt haec religio ab illa stulta imitandi Christi ratione, qua quondam Graecum Ruthenorum Patriarcham uti solitum perhibent, in solemnibus, quae quotannis fiebat Dom. Palmarum, processione: qui equo albo uectus, et uestibus indutus candidis, populum sibi adclamare iussit *Hosianna. i)* Quam

B 2

qui-

Christi fidem amplectentibus, clamatum fuisse: *Iesu Christi palma et uictoria*, nimirum propter testimonium ipsi a Iacobo perhibitum.

f) HENR. VALESIVS ad Eusebii l. l. et l. E. GRABIVS in *Spicilegio Parr. Sac. II.* p. 207. quibus aduentum uidetur BINGHAM l. l.

g) Est haec SCALIGERI in *Animaduers. Euseb.* sententia, contra quem ideo pugnat *Valesius* ad Eusebium p. 79. edit. *Reading.*

h) teste HIERONYMO *Comment. in Galat. I.*

i) Describit ceremoniam istam DAN. WINZERS *diff. de Hosanna* §. 32. et ex *Irimar. Ruth.* repetit his uerbis: *Das grosse russische Fest die Einweihung Christi zu Jerusalem vorstellend geschah mit einer grossen Menge Volks und Pracht. Der Patriarch sass auf einem weissen Pferde (libellus quidam Vniuersae religio Ruthenica inscriptus et an. 1695. editus, sed futilis ille, p. 49. ubi*

eandem rem commemorat, ait, ob penuriam asinorum in terris Ruthenicis equo aures adtingi, ut esse solent asellorum.) *bekleidet mit weisser Leinwand in Person des Herrn Iesu. Der Kayser selbst von zween Bojaren gefuhret leitete das Pferd beym Zaum — Der Patriarch hatte eine runde Mütze aufm Haupt mit Perlen gezieret, über welche eine Krone stand. In seiner rechten Hand hielt er ein goldnes Kreuz — mit welchem er das Volk so zu ihm nabete segnete. Er sass überzweg auf seinem Pferde mit köestlichem Zeuge als ein Esel aufgezaeumt — Der Weg war mit rothem Tuch belegt — Der Adel, die Bischoefe, Pfaffen folgten, und trugen einen grossen Baum von Seide geflochten woran Aepfel, Feigen, Rosinen, nach — Die ganze Gemeinde streuete Palmenzweige und Blaetter aufm Weg, viele trugen Zweige in Haenden und riefen allesamt. Hosanna dem Sohne David. Gelobet sey der da koemmt im Namen des Herrn. Hosanna in der Hoeh.*

quidem uanitatem aliquanto minus mirabitur, qui nouerit Christianarum quarundam Orientis ecclesiarum rationem, a qua sine dubio res ducta in hanc inanem ceremoniam degenerauit. Ecclesiae Aethiopicæ et Syriacæ k). Dominicam palmarum eadem fere ratione, qua Iudæi festum Tabernaculorum eiusque septimum diem, quam *Hosianna Magnum* dixerunt, celebrabant, memoriam adclamationis, Christo factæ, palmarumque illi stratarum, sollempni modo recolentes. Hinc est quod huic Dominicæ nomen tributum est *festi Hosannarum*. l) In occidentis uero ecclesiis media ætate similem consuetudinem obtinuisse, illud satis declarat, quod Dominicam Palmarum et ipsæ *Osannam* dixerunt. m) Multo maiorem reprehensionem meretur illa Pontificiorum in Dominica Palmarum Processio, qua, ut GVIL. DVRANDVS n) ait, imitari student *Hosianna* illud Populi Israelitici. Quin et hæc insania olim in quibusdam illorum ecclesiis ualuit, neque enim credo eam adhuc hodie locum usquam habere, ut, quasi personatum Christum, circumducerent aliquem truncum, alino ligneo impositum, eumque magnis adclamationibus et stratis palmis exciperent. o)

k) De Aethiopicis res constat ex SCALIGERI l. IX. de *Emendat. Tempor.* p. 700. De Syriacis autem ecclesiis IOS. SIM. ASSEMANVS idem refert *Biblioth. Orient.* Clem. Vatic. T. I. p. 23. *Dies Osannæ* occurrit apud ABULFARAGVM *Hist. Dynast.* p. 163. ed. Pocok.

l) uid. CAES. BARONIVM *Annal. Eccles.* ad. A. C. 34. n. 6. ubi locum adfert ex Targum libelli Esther. c. 9. ad cognoscendos illorum dierum ritus compositum.

m) Quam plurima exempla, quæ diem illum in ecclesia Lat. *Osanna* dictum indicant, collecta habes a DU FRESNE in *Glossar. ad Scriptor. Med. et Inf. Latinit.* T. I. P. II. p. 874. edit. Benedictin. nouissime Basileæ typis repetitæ.

n) *Rational. Diu. Offic.* l. VI. c. 47. describit et explicat. processiones eius diei superstitione in Lat. Ecclesia institutas. In Palaestinam, quas auspiciis Rom. Pont. recentior ætas inuexit, memorat FRANC. QVARESIMVS in *Elucidat. Ter. Sanct.* T. III. 4. c. II.

o) Rem exposuit Latinis uerbis. ITH. NAOGEOGIVS L. 4. *Regni Papist.* c. 15. Vehementer illam improbat NIC. HAAAS in der Abbildung der Passion und Fastenandacht in der Röm. Cath. Kirche his uerbis: *Welch ein Spiel treibe man an vielen Orten mit dem Palmesel, da man einen boelzernen auf einem Gestelle mit Ruedergeu stehenden Esel, darauf ein Menschenbild setzet, durch die Kirche in der Procession, mit Gesang und Geschrey herumziehet, demselben Zweige*

Sed uideamus iam usum uocabuli *Hosanna* in ecclesiae Graecae Liturgia. Est autem apud Graecos uox laudis tantum et glorificationis Dei, non laudis cum supplicatione coniunctae: neque alia praeter hanc significationem in libris eorum ecclesiasticis, Eulogiis, Typicis, Triodiis occurrit. Atqui facile intelligitur, eo sensu uocem a Graecis minus recte usurpari. *Hosanna* non sunt laudes, uerum est supplicatio pro saluatione Messiae ex uirginitate eius, olim facta, cui dudum exaltato et saluato eo sensu accini non potest, nisi nostram salutem respicere uelis, quam hac prece exoptamus uelut dicentes: salua nos o Deus.

Canunt autem Graeci *Hosanna* in Hymno *Matutino*, ubi pars est eius *Doxologiae*, quae ἡ μεγάλη dicitur, ut ab altera, in breue uerborum compendium contracta, distinguatur. p) Canunt in *Missa fidelium*, siue in officio, quod a praemissa ante glorificatione Dei pro omnibus ipsius donis et beneficiis *eucharisticum* dicitur. Nam CONSTITUTIONES falso sic dictae APOSTO-

B 3

LICAE

Zweige von den Bäumen auf den Weg streuet, und viele sich für eine große Ehre halten, so sie etwas dabey zu thun haben — — Was soll daraus für Erbauung zu erhalten seyn, welche Gedanken müssen entleben bey denen die es zum erstenmal sehen. Türckische Gesandten als sie dergleichen zu Crackau gesehen, haben die Hände aufgehoben und gerufen: O was für Schande einen Esel anzuberen. p. 187 ubi etiam *Nocgeorgi* uersus, in theoticos translati leguntur. p. 188.

p) Vide TH SMITH *Miscellanea de Hymno Matutino Graecor.* p. 133. Adpellatur etiam hymnus angelicus, quod eundem nato Iesu modulati sunt angeli Luc. 11.

Hoc loco, ut ea, quae a me postea dicentur, adcuratius intelligantur, ad-

notandum est, quatuor esse hymnos, qui in Liturgia ad diuinas laudes adhibeantur: qui quamquam sunt distincti argumenti et diuersae adpellationis, tamen plerumque confunduntur. Primus est hymnus angelicus: *Gloria in excelsis*, alter *Trisagium*, tertius hymnus *cherubicus*, quo Cherubinorum uoces aemulari uoluit ecclesia, quartus *Epimicium*, scilicet uictoriae et triumphi felix adclamatio, diuersae tamen formae a profanarum gentium antiquis epimicis, ligato plerumque sermone compositis, quam exposuit I. G. BERGERVS diff. de *Epimicio* Viteb. 1705. Vide diff. CHRISTOP. MATTH. PFAFFII de *reliqua Theologiae hymnodicae conformatione* p. 13.

LICAE r) docent, hunc fuisse populi in isto officio cantum: Εἰς ἅγιος, εἰς Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν Θεῶ πατρὸς, εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας, ἀμήν. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῶ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου, Θεὸς κύριος καὶ ἐπεφάνη ἡμῖν. ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Vnus sanctus, unus Dominus, unus Iesus Christus in gloriam Dei patris, benedictus in saecula, Amen. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax, in hominibus beneplacitum. HOSANNA filio David. Benedictus ueniens in nomine Domini, Deus Dominus et adparuit nobis. HOSIANNA in altissimis. Eadem fere in LITURGIA, quam CHRYSOSTOMI s) esse volunt, leguntur post hymnum uictoriae, quem chorus cantat: ἅγιος, ἅγιος κύριος Σαβαώθ, πληρὸς ὁ ἄρανος, καὶ ἡ γῆ τῆς δόξης σα· ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου· ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. Et quamquam haec divina Chrysostomi Missa, non est Chrysostomi, tamen eam ueritati consentire docuit non modo ex illius, uerum etiam ex CYRILLI HIEROSOLYMIT. scriptis IOS. BINGHAMVS. t) His addi potest LITURGIA IACOBI Apost. quae in Ecclesia Hierosolymitana in usu erat planeque similia his habet. u)

Verum

r) L. VIII. c. 13. T. I. P. P. Apost. COTELERI p. 409. ubi is obseruat, non sacerdotem haec quondam, sed populum dixisse.

s) In Eucologio s. Rituali Graecor. a IAC. GOARO Paris 1647. ed. p. 76. Rhetoricatur bonus Goarus more suo p. 135. in Noris, rationem ostendere uolens, quare sit epinicius cum Hosiana in canone Missae coniunctum. Sed nihil agit, quia, conuenienter id fieri, nec docuit, nec docere potuit. „Domino, inquit, Deo exercituum in sublimi gloriae throno sedenti, caelestis militiae, duci, inimicorum legionum debellatori, felicitissimo, uictoriaeque omnis dato-

„ri, angelici spiritus, uidente Iesaja
„c. VI. ἐπιπνικιον καιάνα triumphalem
„hymnum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Sanctus
„Dominus exercituum, plena est omnis
„terra gloria eius, cecinerunt. Eidem,
„carne humana instructo et armato, ad
„prosternendos Israelis hostes proceden-
„ti, ueluti imperatori Aug. Perp. Felici,
„triumphum uictoriae cantu bene omi-
„natae sunt Hebraeorum turbae, “ can-
„nentes ἐπιπνικιον, Hosanna in excelsis, Benedi-
„ctus, qui uenit in nomine Domini.

t) Orig. siue Antiquit. eccl. T. VI. edit. Lat. p. 312.

u) Biblioth. Patr. Gr. Lat. T. II. p. 12.

Verum etsi hunc triumphalem hymnum, quemadmodum loquitur IAC. GOARVS, w) ex angelorum et hominum uocibus compositum, Deo trino et uni, Verboque Dei incarnato, Graeca et Latina ecclesia simul, uno consensu, et quasi uno ore decantat, nondum tamen expediri est, an recte hoc fieri potuerit, ut uox precum supplicationisque in laudatoriam conuerteretur, sicut nec recte angelica illa saluatio, *Aue Maria*, in precationem est commutata.

Nam in Praefatione Canonis Missae, qua utitur ecclesia Latina post Doxologiam, quae non multum diuersa est ab ea, quae obtinet apud Graecos, et ante Orationem Dominicam, quae consecrationi praemittitur, bis ingeminatur illud *Hosanna in excelsis*. x) Adferamus locum ex SACRAMENTARIO GREGORII M. y) ipsum, qui in Missa Romana sollempne illud, quo Canon Gregorianus incipit, *Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum proxime praecedit. Maiestatem tuam laudant angeli -- -- cum quibus et nostras uoces ut admitti iubeas deprecamur, supplicii confessione dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra gloria tua, Osanna in excelsis. Benedictus, qui uenit in nomine Domini, Osanna in excelsis. Atque in hunc modum uerba quotidie in Pontificiis Missis recitantur. Enimvero, quum antiqui scriptores de Missa, AMALARIVS, z) WA-*

LAFRI-

w) l. l. p. 135.

x) GVIL. DVRANDVS *Ration. Din. Offic. L. IV. c. 34.* iudiciter ineptam rationem dat, cur *his* dicatur *Hosanna*, nimirum propter duas partes salutis, quae sint stola mentis et stola carnis, quibus sancti beatificentur in gloria, ut uidelicet anima et corpore saluati inter angelos depuremur in excelsis sicut in caelo. Paulo ueriores causam proferat Cardinalis ille haud malus, IOH. BONA *Tr. ascet. de Missa c. V. §. 7.* qui agit de offeritorio: *Duae inquit petitiones insunt uerbis istis: Hosanna in*

excelsis, quae bis repetuntur, et illis salutem postulas, et quae ad eam sunt necessaria, primo a Deo, deinde a Christo.

y) *Libri Sacramentor* folio statim primo T. III Opp. Gregor. M. edit. Benedictin.

z) de *Officio Missae c. 23. p. 37.* in IOH. COCHLAEI *Spec. antiq. deuot. circa Missam* ait: „Veneramur maiestatem „diuinam et incarnationem Domini. „Quae introducta sunt per cantum angelorum et turbarum. Angelorum „concentus Sanctus, Sanctus, Sanctus „Dominus Sabaoth, maiestatem diuinam „nam introducit. Turbarum uero Domini

LAFRIDVS STRABO a) alii, ex HIERONYMO cognitum haberent, *Hosianna* debere aliter ac triumphale carmen explicari: ut ostenderent HIERONYMI auctoritatem cum ecclesiae instituto posse consistere, dici non potest, quam contortas explicationes et quam inanes coniecturas super ea re in medium attulerint. Nam uiderunt *Hosianna* esse *precem*, quemadmodum Auctor MICROLOGI b) totam ad laudes diuinas compositam *πρὸς τὸν ὁδὸν* quae Canonem Missae antecedit, c) et GREGORIUS M. canonem ipsum, *precem* adpellarunt. d) Viderunt hanc *precem* cum hymno triumphali coniungi, eiusque conjunctionis causas inuestigandas et indicandas esse censuerunt. Itaque hac uia se expediunt, hymni ut duas constitui debere partes dicant, quarum prima ad Deum et SS Trinitatem directa sit, ad Christum altera. e) Parte prima, inquit, *epinicion* Deo exercituum modulari ecclesiam militantem a triumphante acceptum: post laudem uero et gloriam S. Trinitatis, altera parte sequi, *HOSIANNA gratiarum actionem* de aduentu Seruatoris, qui pro salute nostra homo factus sit. f) Friget autem haec expositio, quia *Hosianna* uox non comprehendit *gratiarum actionem*, sed precatationis carmen est, quod ipsum nonnulli Scriptores de Missa, per saepe inscii, et quasi aliud agentes, falsi sunt. Ita ANONYMVS, sed antiquissimus AVTOR *Expositionis Missae Romanae* g) et Interpolator rythmicus

„Domini incarnationem dicendo: Benedictus, qui uenit in nomine Domini.

a) De Rebus Ecclesiast. c. 22.

b) c. XI. in Cochlaei Speculo p. 203.

c) Ita LUCIANVS in *Philoparr.* ridens Christianorum preces, hymnum uocat; qui uarias Dei et Christi continet adpellationes.

d) Praeclare de hac re THEOD. CHR. LILIENTHAL pag. 7. et 18. Tr. de *Canone Missae Gregoriano*, cuius dissen-

sum a potioribus Romanae ecclesiae erroribus docuit.

e) IOH. BONA *Rev. Liturg.* l. II. c. 10. p. 417. IO. 51. DURANTVS de Rit. Eccl. p. 292.

f) I. B. CASALIUS de Veter. Sacr. Christianor. ritibus p. 81. ed. Rom. in fol.

g) Apud EDMUNDVM MARTENE de *Antiq. Eccl. Ritibus* T. I. p. 455. edit. Antwerp. in fol. ubi exponit *Hosianna in excelsis* hunc in modum: „Saluifica, subaudiendo uel populum tuum uel totum mundum, cui idcirco additur

cus *Missae* TH. AQUINATI adscriptae, b) interpositis carmini *Hosianna in excelsis* uersibus, quod uerum est, prodiderunt.

Sed hae interpretationes quantae quantae sint, vix tamen efficient, ut *Hosianna* uocem commodo loco in forma *Missae* Romanae positam esse existimem. Scholasticus ille, qui canonicam precem ex uariis uariorum Liturgiis collectam, in unam contulit, forte uix melius ac uiri, a me pag. VIII. memorati, Hebraice doctus, carmen *Hosianna*, cuius significationem ignorabat, male disposuit, certe parum ingenio ualuit, quia sanctorum quaedam nomina, bis, in suo canone commemorauit i) GREGORIVS M. autem, de *canonica* sua *prece*, ab occidentis ecclesiis recipienda, tantum sollicitus, uocabulum *Hosianna* ex Liturgiis Graecis adscitum uel non potuit, uel noluit, curatius inuestigare. k)

Vt autem olim in *Missae* et Graeca et Latina secus adhibita est illa uox: ita hodieque in ecclesiae nostrae canticis quibusdam, minus rectum usum eius adscitum uidemus.

Non iam commemorabo quam inepte fecerint, qui in b. LUTHERI hymno illo natalitio, *Vom Himmel hoch da komm ich her*, offensi antiqua uoce *Susannine*, l) ad somnum infantibus inducendum

„tur in excelsis, quod aduentus Christi
„non tantum hominum salus, sed totius
„mundi sit, terrena iungens coelestibus,
„ut omne genu ei flectatur
„caelestium terrestrium et inferorum.“

b) Exhibet hanc *interpolationem* Canonis *Missae* *rythmicam* BONA *Rer. Liturg.* L. II. c. 10. pag. 418. ubi, quia *Interpolator* uocabulo *Hosianna* hos subiicit uersus:

Nobis celebrantibus illud sacramentum
Et cunctis fidelibus fiat nutrimentum.
planum est, cum exorare sibi per illud *Ho-*

sianna auxilium diuinum, quo S. Eucharistia ad salutem aeternam fruatur.

i) Vide POLYDOR. VERGILIVM de *Rer. Inuentor.* c. 10. WALAFR. STRABONEM l. I.

k) LILIENTHAL l. I. pag. 19.

l) Recte LUTHERVS hanc uocem praetulit superstitiosis odis ad cunas Iesu tum cantari solitis. Propria est uox naeniis et lallis, quos infantum soporandorum causa mulierculae decantant. *Susen* est dormire, et *Ninne* infans, ut docuit I. G. WACHTERS *Glossar.* Germ. T. II. ad h. uoc. p

C

1651

endum composita, eam sustulerunt, in eiusque locum *Hosianna*, quasi aptiorem formulam substituerunt. Nam hodie in plerisque hymnorum ecclesiasticorum libris restituta legitur antiqua uox a LUTHERO suauius usurpata, idque etiam in Vitebergensi hymnario factum. In hymno BENI. SCHMOLKII, *Hosianna Dauidis Sohn*, ex octo strophis eodem uocabulo incipientibus, una modo sexta est, in qua id uocabulum ea significatione, quam supra exposuimus, adhibitum uideas: in reliquis Poeta huic uocabulo uim adtribuit carminis, quod uictori accinitur. Idem fecisse patet auctorem hymni, *Komm du werthes Loefegeld*, quum is ita canit in stropha tertia: *Nimm mein HOSIANNA an, mit den Siegespalmenzweigen. m)*

Nec iniuriam uideor facturus esse praestantissimo Theologo, PHIL. NICOLAI, si dixero, eum similiter errasse in illo excellentis artis hymno de uita aeterna: *Wachet auf ruft uns die Stimme*. Nam ibi stropha secunda *n)* introeuntes beatos in gaudia sine fine duratura, clamare facit HOSIANNA, tanquam ad salutandum et excipiendum Christum, cum suis conuiuaturum.

Multo plus autem difficultatis habet, quod idem diuus NICOLAI in alio hymno: *Wie schoen leuchtet der Morgenstern*, sub finem strophae secundae *o)* uocabulum HOSIANNA ita posuit, ut neque

1651. Frustra *Wibelius* quidam ex Hebraica lingua uocem deriuare uoluit in denen *Unsch. Nachr.* f. Alten und Neuen von *Theol. Sachen* ad ann. 1744. p. 744. Mulierculae scilicet Hebraice norunt. Vide SCHAMELII Euang. Liedercommentarium p. 124.

m) IOH. RIST in hymno: *Auf, auf ihr Reichsgenossen* per illud *Hosianna*, quod elatum cupit, alta uoce aeternas laudes et gratias Christo dedicat strophae hymni ultima:

Drum wollen wir allein
Die Stimmen hoch erschwingen
Dir *Hosianna* singen
Und ewig dankbar seyn.

n) Nimirum canit:
Nun komm du werthe Kron
Herr Iesu Gottes Sohn
Hosianna Wir folgen all
Zum Freudenmaal
Und halten mit das Abendmahl.

o) Ey mein
Blümlein

Hosian-

neque cum antecedentibus, neque cum consequentibus uerbis illud cohaerere uideatur, nisi floris habeat significationem. Quare fuerunt, qui putarent, scripsisse b. NICOLAI שושנה *schoschannah*, quod *Cantic.* Salom. II. 1. 2. c. VII. 3. Hof. XIV. 6. lilium est, cuiusmodi nomen modo fuerat paullo ante decantatum: *Mein Herz heist dich ein Lilium.* Sed primum ea uox metro repugnat: deinde in Cantico Canticorum sponsa est, quae se ipsa Lilium nominet. p) Itaque mihi magis arridet sententia b. IOACH. WEICKHMANNI, qui uelut excusaturus Poetam, *Hosianna* illud, medium inter uoces Flos et Manna infarcitum cenfer, et precem interpretatus est, obsecrantis Deum et Christum, ut opem ferat animae fruenti Christi desiderio adfectae. q)

Atque haec sufficiant hoc tempore de precum carmine HO-
SIANNA me disputasse. Nam institutum nostrum erat, ut Vos, CA-
RISSIMI CIVES, inuitarem ad pie concelebranda Christi *Ἐσθῶν*
Ἐσθῶν Natalitia, quae, iam pacatis rebus nostris, et academia ex tot
ruinis suis paullatim exurgente, feliciter redierunt.

Age igitur, hoc inenarrabile beneficium Christi, de caelo
ad nos saluandos delapsi, quanta maxima possumus grati animi
significatione prosequamur, et, dum ad altare pro uerbi diui-

C 2

ni

Hosianna

Himmlich Manna

Das wir essen

Deiner will ich nicht vergessen.

p) Eodemque nomine adpellat spon-
sam sponsus in perpetuo hoc sponsi ac
sponsae Dialogo. Vide C. M. PFAF-
FEN disp de *Hosianna* supra cit. p. 13.

q) In egregio libro qui Lipsiae 1704.
in 8. prodit *Erklaerung des Liedes:*
Wie schoen leuchtet der Morgenstern.
Ibi p. 176. haec legis. Wenn Iesus

himmlisch Manna genennt wird, das
wir essen, wird nicht eben aus sa-
cramentirliche Essen gezielt, sondern
nur angezeigt, wie ein Glaebiger
sich die Süßigkeit, welche er in Iesu
findet, glaeubig zueigne. Weil es
nicht ein Werk unsers Vermoegens
ist, sondern Gottes Kraft und Beystand
dazu erfordert wird, so wird *Hosianna*
ingerücker. *Ach Herr hilf.* womit ein
glaeubiges Herz Iesum um seine *Hülfe*
und *Beystand* bittet, um die Fülle, die
es in ihm findet, sich zuzueignen.

QX II, 2778 x 300 2275

XX DE HOSIANNA IN LITVRG. GR. ET LAT.

ni ministris, ex more, oblationes faciemus, mentibus nostris ad Christi cunas uenerabundi accedamus, eiusque maiestatem suppliciter oremus HOSIANNA, ut hanc ACADEMIAM porro saluam praestet, atque hunc eius statum indies magis ac magis amplificet. Adprecemur *Hosianna* FRIDERICO AVGVSTO nostro, et *Electo* ADMINISTRATORI, PRINCIPIBUS OPTIMIS, idque tanto lubentius, quanto gratior nobis et ad posteros nostros commemorabilior fuit eorum nupera erga nos liberalitas, in aede academica restauranda.

P. P. in Academia Vitebergensi ipsis Vigilis Natiuitatis
Dominicae. An. R. S. MDCCLXV.

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS



Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1



E C T O R
 IAE VITEBERGENSIS
 IVS AVGVSTVS
 NGGVTH
 T MEDIC. D. PATHOLOG. ET
 P. ORDINARIVS FACVLTAT.
 MEDICAE SENIOR
 S ACADEMICIS
 S. P. D
 ET
 N. IESV CHRISTI NATALITIA
 TERQVE CELEBRANDA INVITAT

HOSIANNA IN LITVRGIA GR. ET LAT

